LUCIS, ET ARDORIS

CONCORDI RADIORUM CONFLICTU

IN SAPIENTIA, ET SANCTITATE

ANGELICI SOLIS

TRIUMPHUS

A Clericis Regularibus Minoribus
Philoſophicæ Paleſtræ Alumnis

Ad Æmulationem excitatus

SUB AUSPICIIS

REVERENDISSIMI PATRIS

AUGUSTINI PIPIA

Totius Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis

Apud Templum S. Laurentii in Lucina.

BIBLIOTECA NAZIONALE

ROMÆ, MDCCXXIII.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

P. FR. AUGUSTINO PIPIA

ORDINIS PRÆDICATORUM

GENERALI MAGISTRO.

UT *quo magis tuæ conformis humilitati, eò plùs innocens*, VIGILANTISSIME PRÆSUL, PATER REVERENDISSIME, *noſtra hæc Accademia*

Digitized by Google

in devotionis argumentum, tuæ dignitatis obſequium, fœlicitatis auſpicium, ad tuos pedes accederet, juſtitiæ injuriam in meritum de tuis laudibus ſilendi convertit. Quæ ſiquidèm nec voce ſatìs exprimi, nec animo omninò poterant concipi, ſilentium indixére, ne, tàm arduam aggredi provinciam auſi, indè regredi teneremur, quo deſperatum erat pertingere; id tamèn in votis fuit, ut quibus de te doluiſſes, præconia approbes in filio, filiique in te expreſſa imago commune tibi faciat, quod de illo dixerimus, ut qui te Patrem *expectat in Cœlis, & Patrem hìc venerari lætetur. Novimus ſanè Sanctitatis, & Scientiæ perpetuo quodam vinculo, tanquàm cardinibus totum tuæ Sacræ Familiæ Orbem inniti, quem ſingulari hoc caractére ſignavit virtus, diſtinxit gratia, divina munificentia ornavit, ut latiſſimos quamvìs, ac penè immenſos terrarum excurreret limites, nihil tamèn, quod illos*

ex-

excederet, nihil, quod ab illis deficeret, permiſit. Tot itaque inter Scientiæ, & Sanctitatis ſydera in fulgentiſſimum totius veritatis ANGELICUM SOLEM mentis aciem convertimus, nec, niſi tuum obſecrantes præſidium, id intentare potuimus; Cui etenim, cum de THOMÆ AQUINATIS Scientiâ, & Sanctitate agendum, niſi tibi ſermo noſter addictus, qui tot inter Inclytæ Prædicatorum Familiæ Doctores, & Sanctos præcellis, & præis? Cui, cum de Doctore Sanctiſſimo, de ſcientiſſimo Angelo dicendum, deferenda Oratio, niſi tibi, qui ſimilitèr Angeli mores, merita, ſcientiam, hæres fortaſsè factus, adæquas? Cui denique Accademicos hoſce dicemus labores, niſi tuæ humanitati, à qua id certè nos aſſecuturos promittimus, quod, etſi minus habentes ſuprà vires fuerimus auſi, excuſabis audaciam, pietatem extolles? Excipe igitùr in tuum, quod enixè expoſcimus patrocinium, hoc, quod-

cum-

cumque ſit, munus, quod niſi alio decoretur gloriæ titulo, illud ſatis fœliciſſimum, ſi noſtræ tibi, tuis, tuæque Religioni obſtrictæ æternum erigat monumentum.

Reverendiſſimæ Paternitatis Tuæ

Addictiſſimi, & obſequentiſſimi ſervi
Cleric. Minor. Philoſophiæ Alumni.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. THOMAS AQUINAS
ECCLESIÆ DOCTOR
Scientiâ ne, an Sanctitate Glorioſior extiterit.

PRIMA PROBLEMATIS PARS.

QUÆ res Oratori, licèt diſertiſſimo, graves admodùm ſemper evaſére, eæ contrà me faciunt hoc tempore, incæpti operis arduitas, & victoriæ non obtinendæ certitudo, quarum alteram, A.S. vereor, alteram metuo. Quid enim arduum magìs, aut difficilius intentet Orator, quàm Virtutes, jurato inter ſe fœdere, conjunctas ſeparare? quid magìs Oratoris animum à ſpe vincendi removeat, quàm contrà earum alteram alterius individuæ virtutis nactum eſſe certamen? Res tamen ità ſe habet, ut cùm de te, THOMA, mihi primùm inſtituenda ſit Oratio, eximiâ ex Sanctitate Glorioſior (ſi cujus non eſt numerus Sapientia excedi valet) debeas repræſentari. Ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parùm poſſum, de una diſſerens Virtute, de alterius depreſſione periculum teneor experiri: Spes animo decidit, niſi tu, ò ANGELICE DOCTOR, quo ſtet animus in re tàm ardua largiaris, quo ſtet animus, inquam, Sanctitatem magìs tuæ Gloriæ contuliſſe, quàm Doctrinam, demonſtraturus, cùm

meritis Sanctitati propriis, tùm Sanctitatis meritis, quæ tuo ſemper in animo glorioſa reſplenduit. Tuæ lucis radios meæ menti impertire, ut his in ſuam revertentibus originem, nullis eam afficiant tenebris, aut argumenti præciſio, aut mea imperiti ſermonis infantia.

Non eò unquàm Scientiæ pervenit dignitas, ut, à peccatorum conſortio abhorrens, graviora in ſcelera interdùm ſeſe præcipitem agere non valeret; nec tale unquàm cum Cœli muneribus fœdus ſancivit, quin illorum in momento expers poſſet reddi ſimul, & indigna: Quarè, ſi ſacra perpendimus Oracula, nedùm à Scien-
Rom. 12. tiæ progreſſibus *ſapere ad ſobrietatem* coërcet, verùm
2.Cor. 6. & ab illius conſecutione, quòd *littera occidit*, deterret; At Sanctitatis decor non his circumſcriptus limitibus, nullis deſignatus circumſtantiis, nec mortifera ſuſpectus tabe, aliud, quàm illam maximam non eſſe, de-
Matt. 5. trimentum non agnoſcit, ſiquidèm *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in Regno Cœlorum*; Quis ignorat, tot ſapientiſſimos homines, & in ſcientiis emeritos æquitatis in mari naufragos, non priùs metam ſuis impoſuiſſe ſceleribus, quàm in imo Inferorum demerſi conſtiterint? Quis Sapientum enarraret ruinas, niſi ſua inter inſignia Sanctitas illarum ſibi reparationem vindicaret? Sed quid; nonne hoc idem ſuprà ſcientiam meritum in D. AQUINATE Sanctitas retulit? Retulit quidèm.

Quod ut evincam, Auditores, prodigioſa AQUINATIS geſta à me enarranda ne expectetis: Omnibus hæc ſatis cognita, & totus Terrarum Orbis admiratio-

ne

ne correptus veſtram in mentem revocat ſervatam ex Baptiſmate hauſtam integritatem, atque innocentiam nullâ unquàm criminis umbrâ deturpatam, jugem illius pœnitentiam flagris, vigiliis, omnique cruciatuum genere ad martyrium uſque provectam. Quid memorem de Mundo ſubacto triumphum? quid ad patrias ædes reditum ſuadentium ſpretas inſidias? quid ſuperatum impetum, quem ſimul in eum faciebant Parentum amor, & gloria, Sanguinis claritas, Populorum famulatio, ac ſervitus, ætatis flos, corporis debilitas, ſpes gloriæ, præpotentes affinitates, & Cæſaris in AQUINATES benevolentia? Quid plura? Adeſte, obteſtor vos, ſacri parietes, ut pugnam, in qua Cœleſtis Luctator, ſemel vincendo, omnium hoſtium debellavit inſidias, enarretis; Inſpexiſtis olim nullis armis, nullo munitum, niſi virtutis præſidio, triumphatorem, quà vinci quaſi erat neceſſe. Vidiſtis impudentiſſimam profligatam Mulierem, quæ venereas evomens flammas pectus virgineum infernali ardore parabat incendere; Adhùc videor Sanctitatis Herculem videre; candenti ligno arrepto, illius Hydræ libidinoſa capita extinguere, neve in poſterum ſubcreſcentia inconcuſſam audeant in diſcrimen conſtantiam revocare, de non ſperanda victoria, & haud dubia clade, myſticum ſupra parietem Crucis veſtigium, & Inferis ipſis, quaſi fulmen terrificum deſignavit: O admirabilem Caſtitatem! O Facinus omni præconio ſuperius, omniumque Sæculorum admiratione digniſſimum! Adfuit, adfuit tanti Certaminis Cœlum ipſum Spectator, & Admirator, eâ ſolùm de re, Stephano conceſſum jam-

B 2 diù

diù privilegium, AQUINATI denegans, ut quidquid in pugnando ſubtraheretur levamini, gloriæ in vincendo adderetur: Rem eventus comprobavit, nam deſignatâ in Cœlis pluribus onuſtâ trophæis victoriá, duo Seraphim è Cœlo elapſi ſpeciali quadam celeritate, ac virtutis eorum ſimilitudine impellente, lumbos cœleſti Zona Triumphatori præcinxere, ut puritatis decoratus togâ caſtos inter, ac Virgines primas obtineret.

Quid igitur tot victorias, aliaſque, & ſimiles, & majores, quæ THOMAM ad eximium Sanctitatis culmen extulerunt enarrem? Probare mihi intendenti ſupra Scientiam illius Sanctitatem excellere, validum ſuppetit argumentum, quod ANGELICUS SOL Sanctitate priùs, quàm Doctrinâ emicuerit. Mirum quidèm! Adhuc in faſciis devinciebatur, jamque Sanctitas naturæ leges noverat pietati poſtponere, ore adhuc hæſitabat, & jam matura ætas, & adulta virtutum pertranſierat incrementa, eò uſque, ut eum Baptiſtæ prærogativa inſignitum fateri, priùs Sanctorum albo, quàm viventium ordini adſcriptum, auderem, niſi tanti Doctoris unà cùm humilitate modeſtia impediret docendo, quòd *non eſt credendum aliquos alios ſanctificatos eſſe in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit*. En parvulus noſter ſuadentibus lacrimis ardentiſſimus apud Nutricem Orator, ut ſcriptam Angelicam ſalutationem reſtituat, eamque vix manibus arreptam famelicâ Angelorum aviditate deglútit: O ſitis Virginea! O verè Angelica fames, cœleſtibus ſolùm caracteribus explenda! O admirabile in Puero maturæ pietatis portentum! Quis inte-

3. par. qu. 27. a. 6.

rim

rim neget; ex tunc in Filium à Deipara adoptatum, ſupernaturalibus ſimul donis fuiſſe repletum, ut in dies ab Ave primordiis incipiens, eouſque proficeret, ut Maximus deinceps in Eccleſia Sanctitatis ſplendor evaderet? Quid mirum, ſi annis labentibus ſolido ità fretus pietatis firmamento nihil, quod non Sanctum, non Divinum ſaperet, deguſtavit?

Reſpondeat ne aliquis ſublimi illius Sapientiæ nihil penitùs Sanctitatis prioritatem detrahere, cùm, licèt illa poſterior, unà tamen ſimul ſupremum ejuſdem Sanctimoniæ apicem deindè attigerit, id certè, quod non ſine impudentia quis auderet negare: Verùmtamen, ut illata veritas inconcuſſa ſubſiſtat, ſatis erit argumenti de nihilo gloriari poſſe ſcientiam, quod ad Sanctitatis merita referri non debeat. Sacros codices adite, ibique Sapientiam ullo ſine diſcrimine à Pietate, & Sanctitate ortam invenietis. *Initium Sapientiæ Timor Domini*; Ità quidèm ò admirabilis, & integerrima Regina æquè inter iniquitatis ſordes perhorreſcis conſiſtere, ac puritatis candore illecta Sanctitatis veſtigiis ſtudes inhærere. Nullum igitur dubitandi judicium ſuperſit, quin ſupremum gloriæ faſtigium, quod ex Scientiæ meritis AQUINATE in DOCTORE reſplendet, in Sanctitatis gloriam ſit refundendum. Quis etenim negare audeat, cùm de gloria agitur, Scientiæ præferendam Sanctitatem, quæ criminum ſordes immortali odio perſequitur? Sanctitatem, inquam, ex qua, tamquàm ex lucidiſſima Aurora plenis ſplendorum radiis Fulgentiſſimus SOL AQUINAS apparuit, Sanctitatem, qua vel

Eccl. 5

ab ipſis incunabulis imbutus Scientificum Prodigium ANGELICUS DOCTOR evaſit? Sed quid? illùc ſuſpicite; ubi throno præ cæteris glorioſiſſimo Triumphator AQUINAS exiſtit; Videte, ut Sanctitati Gloria reſpondeat, ut tot coronas, quot virtutes, tot palmas, quot merita enumerans, per Sanctitatis jura ſupremum attigerit, ultrà manſiones hominum gloriæ faſtigium, eòque glorioſior, quò ſuâ Sanctitate illuſtrior extitit, prædicetur.

ALTERA PROBLEMATIS PARS.

COMPARANTI mihi ANGELICI DOCTORIS Scientiam cùm illius Sanctitate, primæque ſuprà alterius dignitatem Virtutis exponere aggredienti, illa acceſſit perturbatio, quæ in rebus difficillimis, & maximis ſolet ſuboriri. Crediderain minoris futurum diſcriminis alterutrius gloriam enarrandam aſſumere, quàm dicere in utramque, cùm de altera tantùm agens, niſi in majus, æquale ſaltèm in periculum incidiſſe experior; Quis etenim inter æquè ſumma diſcernat? Si prophetica adeamus oracula, THOMAM Matri prænuntiant, toto Orbe ob vitæ, & eruditionis præſtantiam celebrandum; Si Summorum Reſponſa Pontificum, tot compoſuiſſe articulos, quot miracula operatum invenio; ſi ad illius actiones oculos deflectimus, Scientiæ, & Sanctitatis abyſſi mentis circumſcriptionem æqualitèr declinant; Deus, Deus ipſe utriuſque excellentiam approbans per Angelos Sanctitatem, per ſeipſum Scientiam commendatam voluit. Quæ igitur inanis hæc inter æqualia comparatio? Si ſemel parium comparatio, nec elationem habet, nec ſubmiſſionem; non niſi tuarum, ò DOCTOR ANGELICE, excellentia, atque virtutum humilitas ad arduam adeò, & penitùs inacceſſibilem provinciam animum adjicere impulit; earum excellentia, utpotè extrà te nemini compara-

para-

Digitized by Google

parabilis tē tibi comparare coëgit, humilitas permiſit; altera Orationem excuſabilem reddit, Oratorem altera à nota temeritatis præſervat, undè audaciam potiùs, quàm ſpem animo concipiens te oſtendere conabor Scientiâ magìs, quàm Sanctitate Glorioſum. Primò, quia fuit Sanctorum Scientia. Deindè, quia Scientia à Sanctitate indiviſa. Poſtremò, quia Scientia, undè Sanctitas emanavit.

Pro Scientia noſtri DOCTORIS decertaturus, eadem, quæ ex adverſo arma, quibus hoſtilia tela retundam, validiſque occurram rationibus, libens amplector. Duplicem namquè diſtingui Scientiam; hominum alteram, alteram Sanctorum edoceor; illa hominum induſtriæ, aſſiduique laboris fructus, hæc nonniſi donum Dei; illa à ſanciendo cùm criminibus fœdere quandoquè non
2. 2. qu. abhorret; hæc illis pugnam immortalem indicit; *undè*
45. a. 4. *relinquitur* (idem Angelicum teſtatur os) *quòd Sapientia, de qua loquimur non poſſit eſſe cùm peccato*. At quænam, niſi hæc Sanctorum Scientia in THOMA AQUINATE mirabilitèr enituit? Quis etenim eam Scientiam Sanctorum deneget, quæ tót hæreſes debellavit, pravas delevit diſciplinas, tot impios ad viam veritatis deduxit? Numquid in dubium revocabitis, fuerit ne Donum Dei, Scientia, quæ, Spiritu Sancto ſuper humerum Doctoris ſub ſpecie Columbæ diſcumbente, Angelicæ fuit menti inſpirata? Doctrinæ non dicam Summa, ſed Summitas, & Evangelii dogmata, & Scripturarum arcana, & Fidei myſteria includens, in affirmando hærebitis, nùm ex ore Dei proceſſerit? Heu repe-

tant

tant iterùm è Vaticano Pontificum Oracula THOMÆ AQUINATIS Doctrinam non humanitùs aquiſitam, ſed divinitùs infuſam; Reſonent....... Sed obmuteſcant, ubi Divina, & Increata loquitur Sapientia. *Benè ſcripſiſti de me THOMA*. O Ineffabilis Sapientia! O verè Sanctorum Scientia, quæ non à linguis hominum, aut Angelorum meriti, & dignitatis auctoritatem habes, ſed à Verbi in Cruce pendentis ore audire promereris: *Benè ſcripſiſti de me THOMA*; quamnam Scientiam, niſi illam Sanctorum, Supremus poteſt Inquiſitor approbare? Cuinam Scientiæ, niſi ſuprà Sanctitatem Glorioſiori, pro mercede maxima omnium merces proponitur? *Quam ergo mercedem habebis*? Ecquid hoc aliud, quàm Deum ſeipſum pro mercedis pretio offerre? Noverat ſiquidèm divinus ille Præceptor diſcipulum, utpotè ab eo inſtructum, nihil expoſciturum aliud præmii, quàm eumdemmet Deum, in optione propterea eligendi jam ſe ipſum pro mercede in mercedem donaverat. Renova, ò Angelice Doctor, renova quidèm adoratione petitionem digniſſimam: *Non aliam præter te Domine*. Non alia, inquis, Domine, eſt merces Sapientiæ debita, niſi eò, undè illam hauſeram recurrat, ut quemadmodùm cujuſque perfectio rei in conjunctione cùm principio eſt ſita, ità ad Increatam, ab ea impertita, Sapientia reuniatur oportet. O Sapientia verè Sanctitate Glorioſior, ſi etenim illa Beatorum tempora in Cœlis aureis coronis præcingit, hæc, in terris etiam Beatos efficiens, Paradiſi mercedem Angelico Præceptori largitur.

C Quin-

Quinimmò adeò verum eſt eam Scientiam extitiſſe Sanctorum, ut ab ipſa Sanctitate fuerit penitùs indiviſa, quod ex parte demonſtrando præhabita explevit Oratio, id tamen cujus oppoſitum intenderat, in Scientiæ gloriam refundatur oportet; Id experientia comprobet Salomon, qui proprio confeſſus eſt ore. *Non didici Sapientiam, & non novi Scientiam Sanctorum.* Creditis ne eam non noviſſe Sanctorum Scientiam, quæ originem à Deo trahit, quæ ſuperiori attribuitur rationi, quæ donum Dei nuncupatur? Equidèm vel hanc non didicit, vel non didicit, ut à Sanctitate indiviſam; *Et quartum*, inquit Sapiens, *penitùs ignoro*, *viam viri in adoleſcentia*; Non novit ergo Scientiam Sanctorum, quia viam illam non novit, qua gradiens Adoleſcens AQUINAS facie ad faciem inito certamine cùm muliere, miris à natura artibus ad bellandum inſtructa, vicit, ac titione fugando immortale ſibi per Scientiam Trophæum comparavit. Sed occurrit forſan adverſarius, id unum Orationem concludere, ab illo, *qui fecerit*, *& docuerit*, vel ex Sanctitate præſertìm pondus gloriæ pendere, cùm enarratam Victoriam, non docendo, ſed faciendo præcipuè THOMAS reportaverit; Liceat mihi tamen eademmet Redemptoris verba nova contemplatione percurrere. *Qui ſolverit*, inquit, *unum de mandatis iſtis minimis minimus vocabitur in Regno Cœlorum*, ſtatimque de iiſdem minimis ſubdit: *Qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum*; Cui ergo pondus gloriæ adſcribatur, Scientiæ ne, an Sanctitati, ſi minima facere, minimum facit, minima face-

Prov. 30. Ibid. Mat. 5. Ibid.

facere, & docere, magnum facit in Regno Cœlorum, ſi itaquè docere ad minima facere adjunctum magnas in Cœlis manſiones deſignat, quid ſuperaddat in ANGELICO DOCTORE, ad facere maxima docere, quorum unum perpetuo cum altero jurato fœdere, Scientiam AQUINATIS, ab ejus Sanctitate indiviſam cognovit?

At nonne *Initium Sapientiæ timor Domini*? Ini- Eccl. 5.
tium quidèm, ſed Sapientiæ conſumatæ; illa initium Ibid.
initii, undè pro Sapientiæ coronide timorem Domini
vel ipſemet Sapiens conſtituit, eo fortaſsè ductus præ-
ſidio, quòd Sapientia, adhuc in ſui initio timorem Do-
mini Sapienti conciliet. Sapientia itaquè, vel nullam
habet, vel Increatam habet originem, Increatam qui-
dèm, quia *Dominus dat Sapientiam, & ex ore ejus* Prov.
Scientia; creatam verò Sapiens invenire non potuit, 2.
cùm aſſereret: *Principium Sapientiæ poſſide Sapientiam*; Prov.
Si igitur Sapientia nullam aliundè traxit originem, quàm 3.
ex Deo, & ex ea oritur Sanctitas, quis audeat affirmare ANGELICUM DOCTOREM Sanctum aliquandò fuiſſe, cùm adhuc Scientiâ non foret præditus?

Præcellat ergo Sanctitati Sanctorum Scientia, Scientia à Sanctitate indiviſa, Scientia demùm, à qua ortum Sanctitas recognovit. O Clorioſiſſime DOCTOR, qui utraque unum conſtituens, quæ ſingillatim ſingulis perfectionis merita diſtribuunt, in te collegiſti, meritò quidèm infallibili divinitatis teſtimonio, tanquàm Scientiæ Speculum ſine macula, exhiberis, & inter Gloriæ candidatos maturâ jam, quamvìs non conſumatâ perfectione, divina remuneratione, vivens adhuc adſcriberis. Age;

Digitized by Google

age quidèm æternos in Cœlis Triumphos, Scientiarum omnium inſignitus Coronâ, noſque interim tuæ immortalitatis teſtes, Angelicam Doctrinam, quaſi viſibilem Divinitatis ſpeciem venerantes, te Sapientiâ Glorioſiſſimum prædicamus.

Digitized by Google

Sopra la Glorioſa Vittoria riportata

D A

S. TOMASO D'AQUINO

Contro una Donna laſciva.

SONETTO.

PIENO di mille Amor' il ſeno ignudo,
Di farétra, e di dardi il lato accinto,
Imbracciando d'ardir' Venere un ſcudo
A Tomaſo dicea: or' or' ſei vinto.
Quindi il dardo à ferir colà ſoſpinto,
Dove ſcampo non era, ò ſcempio crudo!
Già credea l'AQUIN dal colpo eſtinto,
Già vantava, in poter la palma inchiudo;
Rapì TOMASO allor' un tronco ardente,
E vincendo in quell'arduo, ed'empio giuoco
Vide à ſuoi piè le di lei forze ſpente,
Quì Venere cadendo à poco à poco,
Del ſuo folle penſier' reſa dolente,
Se ebbe Cuna nell'aque, urna hà nel fuoco.

IN IDEM ARGUMENTUM.

EPIGRAMMA.

DIvino THOMÆ *ſuccenſum pectus amore*
Objectas Veneris vicerat igne faces.
Cœleſti docuit, quo nempè igne uritur ignis,
Victaque quo vario cedit amore Venus.

IDEM

Digitized by Google

IDEM HEBRAICE.

לֵב טוֹמָאסוֹ נִשְׂרָף
בְּאַהֲבַת אֱלֹהִים
בְּאֵשׁ נֵצַח שָׂרָף
לֶהָבוֹת
מַהְפֵּכוֹת
שֶׁל־נוֹנָה
בְּאֵשׁ הַשָּׁמַיִם לָמַר
כִּי אֵשׁ הוּקַר
וְעִם עָקְרָה
אַהֲבָה הִכְנִיעָה
נוֹנָה אוֹכְרָה ׃

Nello ſteſſo Argomento.

MADRIGALE.

ARreſta, iniqua, arreſta
Contro del SAGRO EROE gl'inſulti audaci,
Di

Digitized by Google

Di tue brame voraci,
A ſaziar la tua ſete
Nutrimento di fiamme egli t'appreſta;
Egli le palme miete;
Ad un tronco d'ardor tue frodi affitte
Scorgea le tue ſconfitte,
Ch' il laſcivo furor gl'avrebbe à giuoco,
Ch' ei ſaprebbe domar fuoco con fuoco.

In Idem Argumentum.

EPIGRAMMA.

Arx, ſolita auxilium pugnanti afferre, parabat
THOMÆ *Virgineos illaqueare pedes.*
Atque opportunis veniens circumdatus armis
Sic loquitur, palmam dum ſibi ſpondet, Amor.
Ille ego numquid amor, cui cedere cuncta neceſſe,
Qui mea per terras, per mare jura fero?
Cui volucres, pecudeſque cadunt ſub vulnere? THOMAS
Nunc pereat flammæ victima facta meæ;
Dixerat, & ſubitò eructans è pectore flammas
Ipſe repercuſſo læſus ab igne perit.
Sol erat, & flatus Inferni in fulmina verſos
Impulit in cauſas illa redire ſuas.

Nello

Nello ſteſſo Argomento.

SONETTO.

ORdì l'Inferno un Labirinto oſceno
Di laſcivo ſplendor; ove raccolſe
Frode letal ſotto un ſembiante ameno,
Per eſpugnar' colà l'AQUINO involſe.
Vibra colui d'impurità il baleno,
Mà nell'oſte l'Eroe l'armi rivolſe,
E chi d'ardor' ne tramandò il veleno
Dal ſuo folle penſier' l'ardor' diſtolſe.
Amor' profano Amor' or' la tua prole
Di vittorie l'onor' cangi in dolore,
Ne più de i vincitor' la gloria invole,
Già TOMASO ci diè nuovo valore;
Chi ſempre vincitor' fuggir' ſi ſuole,
Or' coſtretto à fuggir' vinto è l'Amore.

Vinta l'iſteſſa impudica riceve il Cingolo dal Cielo.

MADRIGALE.

OH Dio, che vedo, AQUINO
Tù già vinceſti, ed or' queſta ghirlanda
Il Cielo in don ti manda?
E qual nuovo deſtino

Dop-

Doppò i trofei di lacci il cor ti hà cinto?
Sei Vincitor', ſei vinto?
Donar lacci al valor' del tuo cimento
E in ver' nuovo portento,
Mà del divino Amore,
Che già rapì, or' t'incatena il Core.

IDEM HEBRAICE.

אָהָהּ אֲדֹנָי
אֲקוֹנְנוּ מָה רוֹאֶה
נִצַּחְתָּ
וְעַתָּה זֹאת הַכֹּתֶרֶת
שָׁמַיִם כְּמַתָּנָה לְךָ שׁוֹלֵחַ
וּמָה גּוֹרָל חָדָשׁ אַחַר
נִצְחֵי פַּחִים לְבָב אָזַךְ
אַתָּה מְנַצֵּחַ וְנִצָּח
כֵּן לְמִי כָּךְ
נִצַּח מַתָּתְךָ

אָכֵן יֵשׁ
חָדָשׁ נֵס
אַהֲבַת הָאֱלֹהִים אֵלָה
אֲשֶׁר קֶדֶם חָטַף
אוֹסֵר לֵבָב עַתָּה ׃

In Idem Argumentum.

EPIGRAMMA.

P*Oſt Veneris clades, Victoris, dextera, THOMÆ,*
Aligerum venit cingere juſſa, latus.
Mirum! Qui fecit pugnas, & vicit inermis
Jure, quibus ſemper vinceret, arma tulit.
Fare age, dic THOMAS hominis virtute triumphos,
Bella vel Angelica conditione geris?
Diſtulit Angelicas Cœlum tibi tradere dotes,
Ut ſors bis, Virtus hæc tibi dona daret.
Ut tua conditio meritis foret inſcia vinci,
Hac fieres hoſtes neſcius arte pati,
Et tibi dùm Virtus daret id, quod ſors dedit illis
Angelica major Conditione fores.

IDEM

IDEM HEBRAICE.

אַחַר רָעוֹת שֶׁל נוֹגָה לַמְנַצֵּחַ
טוֹמָאסוֹ שֶׁל־מַלְאָךְ יָמִין הִגִּיעַ
לֶאזוֹר מְפַקֵּד מַתָּנָיו פֶּלֶא וְרֵיחַ
מִי שֶׁנִּלְחָם לֹא לוֹ חֶרֶב הִפְגִּיעַ׃
אָמְנָם חַרְבוֹת יֵשׁ לוֹ תָמִיד נַצֵּחַ
דַּבֵּר לֵאמוֹר טוֹמָאסוֹ אַף הָרִיעַ
אִם כִּגְבוּרַת אָדָם אַתָּה נִצַּחַ
אוֹ כֵאלֹהִים נִלְחָם שֶׁבָּרָקִיעַ׃
אַחַר לָתֵת שַׁדַּי לְךָ שַׁבֵּחַ
שֶׁל־מַלְאָכֵי מָרוֹם אֲשֶׁר הִשְׂבִּיעַ
גּוֹרָל לָאֵלֶּה תֵת לְךָ שָׂמֵחַ
אֵלּוּ הַמַּתָּנוֹת מָלֵא נְבִיעַ׃
כִּי כֹחֲךָ לֹא כִתְמוֹל פִּסֵּחַ
כְּזֹאת הַמְּלָאכָה וְלֹא יַכְנִיעַ

מלחמות

מִלְחָמוֹת גְבוּרָה לָהֶם יָרַחַ
לְךָ מֵהַמַּלְאָכִים גָּדוֹל הִשְׁמִיעַ ׃

S. TOMASO ſcacciata la Donna Impudica
forma sù la parete il Segno
della Croce.

MADRIGALE.

Dimmi forte guerrier, così veloce
Alle palme, ai trofei
Uniſci ancor la Croce?
Se Vincitor' tù ſei
Colle gioie i dolor cangiar non dei;
Ah sì t'intendo bene,
Il Ciel di premii tratta, e tù di pene.

IDEM HEBRAICE.

אוֹמֵר לִי גִבּוֹר מִלְחָמָה
כַּךְ קַל לְחַיִל וּלְנִצּוּחַ
גַּם תֵּחַד הַתְּלִיָּה
אִם אַתָּה מְנַצֵּחַ

Digitized by Google

חֲבָלִים בַּשְׁטָחוֹת
לַחֲלוֹף לֹא יָכֹל
אֲבוֹי בֵּן טוֹב שׁוֹמֵעַ
מָרוֹם חוֹשֵׁב מַתָּנוֹת
וְאַתָּה מַכְאוֹבוֹת׃

D. THOMAS appellatur Bos Mutus.

EPIGRAMMA.

Quid ſilet æterno verbum laudabile Verbo,
Cui decus à Verbo, quòd benè ſcripſit erit?
Æternum dicunt ſi quando æterna loquuntur,
Quæ pro ſe Verbi verba loquantur habet.

IDEM SYRIACE.

ܟܠܐ ܡܢܘ ܠܐ ܡܫܬܠܠ ܠܐܡܪܐ
ܘܠܐ ܡܦܩ ܡܠܬܐ ܒܦܘܡܐ.
ܟܕ ܫܠܡܘ ܡܕܡ ܒܫܠܡܐ.
ܫܦܝܪ ܫܬܩܗ : ܡܕܡ ܕܟܬܒ ܀
ܫܬܩܘ ܡܠܦܘܢ ܗܘ ܡܫܬܠܠ.

ܘܠܒܪܐ

ܐܘܚܕܢܐ ܬܡܝܗܐ ܡܬܩܕܫܐ.
ܩܕܝܫܐ ܘܐܦܪܝܡ ܬܠܬ ܡܕܒܪܢܐ
ܡܩܕܫܝܢ ܚܠܦ ܐܠܗܘܬܐ ܠܥܠܡ ܀

In Idem Argumentum.

EPIGRAMMA.

QUid cunctaris adhùc? quid nondùm oracula præfers?
Cur latet in tenebris jàm reſeranda dies?
Cur arcana bovis fictâ ſub imagine THOMAS
Muta diù nobis pandere lingua vetat?
Scilicet hoc uno fas diſcere cuncta Magiſtro.
Nunc docèt, ut ſileas, edocet indè loqui.

IN IDEM GRÆCE.

Καὶ χαλκῆπερ ἐοῦσα λάλησεν ἂν ἡ δυνατὴ Βοῦς
Εἰ καὶ σπλάγχνα Μύρων ἔνδον ἐπεχεύσατο.
Βοῦς ὅδε νῦν (δοκέω) μυκήσεται· ἢν δὲ βραδύνῃ.
Οὐράνιον μέλψει φθόγγον ἱεροτόθεον
Ὃς λαλέειν εἰδὼς ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν
Φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς δεξάμενος.

Nel-

Nello ſteſſo Argomento.

MADRIGALE.

TAcque il Verbo; ed' AQUINO
Tacque, parlò del Verbo
TOMASO, e la ſua voce
Il Gran Nume Divino
Spiegò à parlar' d'AQUIN' pendendo in Croce;
Ciò, che diſſe TOMASO eſpreſſe il Verbo,
S' ei ſcrivendo à parlar' il Verbo invita,
Ora col ſuo tacer' il Verbo imita.

Panes, quos Pauperibus diſtribuendos D. THOMAS ferebat, dùm Patri interroganti reſpondet eſſe roſas, in roſas convertuntur.

EPIGRAMMA.

QUid dubitas? THOMAM pro veris reddere falſa?
Quin falſis verbo vera dat eſſe ſuo.
Indigenis, ait ille, viris præſtare levamen
Serta ſuo capiti nectere texta roſis
Nec plura, è Cœlo Virtus ſuccurrere gaudet,
Ne foret in tanto criminis umbra Viro.

IN

IN IDEM HEBRAICE.

טוֹמָאסוֹ

לֶחֶם נוֹתֵן לַאֶבְיוֹנִים

וְלָאָב הַשּׁוֹאֵל

מַה־זֶּה־הוּא שֶׁסּוֹבֵל

אוֹמֵר וְעֹשֶׂה שׁוֹשַׁנִּים ׃

מָשִׁיחַ לַעֲשׂוֹת רוֹצֶה

טוֹמָאסוֹ לוֹ דוֹמֶה

מַיִם הוּאלֶחֶם זֶה

יַיִן וְשׁוֹשַׁנִּים עוֹשֶׂה ׃

מָה מַאֲמִין גְּדוֹלוֹת

גָּדוֹל מְאוֹד פֶּלֶא רִאשׁוֹן

יֶתֶר מְאוֹד וְאַחֲרוֹן

הַשּׁוֹשַׁנִּים מִשְׁתַּנּוֹת ׃

Digitized by Google

הִיא הִשְׁתַּחֲוִית הַבּוֹרֵא
וְזֹאת אִישׁ כִּי מַלְאָךְ קוֹרֵא׃

IDEM LATINE.

EPIGRAMMA.

FErt miſeris panem THOMAS, Patrique petenti
Quid ferat; eſſe roſas, ſubdit, & eſſe facit.
Vult ſimilem Chriſtus THOMAM ſibi reddere; lymphas
Ille merum, panes hic facit eſſe roſis.
Quæ majora putas? Magnum, mirabile utrumque,
Sed magis in ſubitas verſio mira roſas.
Illa Creatorem res eſt venerata, ſed iſta
Angelicum quamvis, eſt venerata Virum.

IDEM SYRIACE.

ܡܢ ܠܐ ܬܐܘܡܐ ܠܡܣܟܢܐ ܘܠܚܡ ܠܐܒܘܗܝ ܕܒܥܐ.
ܘܐܡܪ ܕܡܫܠܡܗ ܠܡܣܟܢܐ ܠܘܪܕܐ ܥܒܕܗ ܠܗ ܒܪܝܐ.
ܐܠܗܐ ܗܘܐ ܡܫܝܚܐ ܘܕܡܘܬܗ ܘܡܥܒܕܗܘܢܘܬܗ.
ܘܐܦܢ ܡܫܝܚܐ ܠܡܫܬܝܐ ܚܡܪܐ ܥܒܕ ܡܝ̈ܐ ܠܗܘܢ:
ܡܢ ܡܫܬܕܠ ܐܝܬ ܕܝܢ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܐܬܥܒܕܘ ܒܬܕܡܘܪܬܐ.
ܚܕܐ ܕܠܚܡܐ ܗܝ ܗܘ ܥܒܕ ܘܪܕܐ ܠܡܫܬܦܢ.
ܒܪܝܐ ܕܝܠܗ ܠܟܠ ܒܪܘܝܗ ܘܪܗܛܐ ܡܣܓܕܐ.
ܒܪܝܐ ܘܒܪܐ ܠܟܠ ܕܒܪܝܐ ܠܡܣܓܕܐ ܡܫܒܚܐ.

Chriſti Domini Imago THOMÆ oranti
locuta eſt dicens:
Benè ſcripſiſti de me THOMA.

EPIGRAMMA.

QUÆ *nova Divino, quænam vox inſonat ore?*
Quis novus ANGELICI *dogmata Sermo probat?*
Ergonè, quòd tacuit per plurima ſæcula, Verbum
Rursùs pro verbis hæc nova verba dedit?
Cùr non in Patribus loquitur, vel ab ore Prophetæ?
Cùr Deus in Nato verba referre ſuo?
Cùr iterùm THOMAS revocas oracula Verbi?
Fors verbis deerant hæc ſacra verba tuis?
Non niſi Diſcipulum ſolitus laudare Magiſter
Præceptore docet te didiciſſe Deo.

IDEM HEBRAICE.

מֶה קוֹל תִּקַּע חָדָשׁ
בְּפִי הָאֱלֹהִים
מֶה אֹמֶר חָדָשׁ
מְיַשֵּׁר לְמוֹרִים
מַלְאָךְ׃

אָבֵן דָּבָר הָהוּא
מְרַבִּים שֶׁשָּׁתַק
עוֹלָמִים הוּא
בִּדְבָרִים רַקַּק
חֲדָשִׁים ׃
לָמָּה לֹא בַאֲבוֹת
מִפִּי נְבִיאִים
לָמָּה לֹא צְבָאוֹת
בִּבְנוֹ אֱלֹהִים
מְדַבֵּר ׃
לָמָּה חָדְשֵׁי דָבָר
טוֹמָאסוֹ מִקְרָא
בַּת־קוֹל אוּלַי חָסַר
לִדְבָרֶיךָ דִּבְרֵי
הַקְּדוֹשִׁים ׃

רב

רַב מַסְכִּין לְהַלֵּל
אֶת־הַתַּלְמִיד
שֶׁאַתָּה הִתְעַלֵּל
אֱלֹהִים מְלַמֵּד
לַמָּרַת ׃

Sopra la Propoſta del Verbo *Quam ergo mercedem accipies?* e la Riſpoſta di S. TOMASO: *Non aliam niſi te Domine*.

MADRIGALE.

Criſſe bene l'AQUIN, lo diſſe il Verbo
Elegger' guiderdon' à te il riſerbo;
Mà più quegl' innamora
Aver' in don' il Donator' ancora.
Chi la penna, e la mente
Nel Creator', nel Redentor' intente
Poſto il Mondo in oblio
Tutto è del Ciel', vuol per mercede Iddio.

IDEM

Digitized by Google

IDEM HEBRAICE.

טוֹב אַקְוִינוֹ כָּתַב כֹּה אָמַר דָּבָר
לְךָ מִתְעַתֵּר לִבְחֹר שָׂכָר
אֵלָּה יוֹתֵר הוּא מְאֻוֶּה
בְּמַתָּן גַּם־הַנּוֹתֵן
מִי עֵט וָשֵׂכֶל כַּבּוֹרֵא
וּבַנּוֹאֵל נוֹתֵן
שְׁכַח תֵּבֵל
כָּל־שֶׁל־
שָׁמַיִם רוֹצֶה
אֱלֹהִים לִשְׂכָר ׃

D. THOMAS adhuc Infans Chartulam, in qua ſcripta erat Salutatio Angelica deglutivit.

ELEGIA.

Cum primùm THOMAS vitali veſcitur aura,
Strictaque faſciolis membra tenella refert,

Vidit

Vidit ubi Nomen conſcriptum Virginis: Ecce
Vix liber, Chartam corripit ille manu.
Bis rapuit Chartam Nutrix, bis præripit Infans,
Vix iterùm raptam devorat ore Puer.
O Puer Angelico paſcendus ab ubere, noſti
Non niſi Virgineis te ſaturare cibis.
Non ultrà Ezechiel æſum Propheta volumen
In mellis verſum jactet in ore favum.
Nunc apis eloquii præſagia pandere ceſſet;
Sorte datum Thomæ nobiliore frui.
I nunc excelſos fortis conſcendere montes,
Magna etenim præſtat raptus ab ore cibus.
I nunc ſecurus pugnas indicere ad hoſtes,
Cùm pro te talis bellica Pallas erit.
I nunc ceù Perſeus ferro munitus, ut enſe
Palladis ætbereæ victa Meduſa cadat.
I nunc in lapides mutare hac ægide corda,
Vertere ſed meliùs ſaxea corda potes.
Si cùm ſis parvus de magnis incipis, ætas
Quid magni vitæ præſtet adulta tuæ?
Non præjudicio ætatis te tempore ſubdi
Denotat Angelicum, quem decet eſſe Virum.

Nello ſteſſo Argomento.

SONETTO.

COme l'Alba non và ſe non del Sole
In grembo, il puro Amor' ſe non frà Gigli,
E il

E il languente d' Amor' i più vermigli
Dal Giardino de fior' apprender' ſuole,
Così al Spirto d'AQUIN' altro non puole
Altro latte appagar', ſe non s' appigli
A Maria, come à Madre i veri Figli
Per unirſele al cor', come lor' Prole;
Così par', che la roſa allatti il giglio,
Par', che goda in quel cor' la Madre appieno,
Com' ei godè tenere in ſeno il Figlio.
Così ſoggiunſe Amor', l'alme incateno,
Due ne formo d'un' cor', e d'un Conſiglio,
E due Mari di grazie in un ſol ſeno.

IN IDEM ARGUMENTUM.

EPIGRAMMA.

INſcriptum Gabrielis Ave ſubtraxerat olim,
Atque avido THOMAS hauſerat ore Puer.
Juſtitiæ Solem pariendum à Virgine; THOMAM
Chriſtiadum Solem denotat illud Ave.

IDEM HEBRAICE.

בִּרְכַת גַּבְרִיאֵל נִכְתָּבָה
קֹדֶם גָּזַל

וילר

D. THOMAS clauſus in arce à Parentibus, ut dimoveretur à propoſito ingrediendi Religionem, id ſuadentibus Sororibus, alteram earum ab amore Sæculi revocat.

EPIGRAMMA.

DUm manet anguſta THOMAS concluſus in arce,
Linquat ut intentum Relligionis opus,
Ecce duæ properant THOMAM expugnare Sorores,
Altera diſtrahitur Sæcli ab amore Soror.
Sic uno in bello parta eſt victoria duplex,
Atque ſimùl novit vincere victa Soror.
O felix hoſtis tanti diſcrimina nactus,
Qui pugnans victor factus ab hoſte venit.
O felix, tali qui ſub victore triumphat,
Vinci vincere ſi eſt, vincere quid fuerit?

Dùm tonat, S. THOMAS abſconditur antris.

EPIGRAMMA.

EN tonat, & ſubito tellus perterrita motu
Contremit, & gelido corda timore replet.
Ecquid in obſcuris tentas habitare cavernis
Dive? quid innocuus concutit oſſa tremor?
Cùm ſis SOL, noſtro ſi te ſubtraxeris Orbi,
Non datur ex alio lumine luce frui;
Ah novi, verum fas eſt te prodere SOLEM,
Qui latet, igniferos nube ciente globos.

Digitized by Google

DIVO THOMÆ AQUINATI.

ELOGIUM.

AQUINAS *notus antequàm natus*
Quem pavit Virgo, quæ peperit Deum,
Qui Gigas nondùm Adoleſcens
Vincere docuit, antequàm pugnare noſſet,
Novâ pugnâ, novum hoſtem, novis armis ſubegit,
Novam retulit Victoriam,
Veneris eliſit ignes ad ignes;
At mirum, Victor Angelicus Angelica de Cælo eſt vinctus faſcia!
Vinctus quidèm Terræ, qui liber eſt Cælo,
Amoris ſcilicet vinculum libertas eſt;
Par in eo Virtuti Virtus,
Verbo pugnans, & Opere,
Incluſit in uno omnia.
Plùs THOMÆ *Fides debet, quàm Fidei* THOMAS,
Illa ſemèl in THOMA, *in Fide* THOMAS *tot hoſtes, quot hæreſes vicit,*
Expugnator totiès, quotiès oppugnatus,
Angelorum æmulator, diſcipulus Verbi,
Nonniſi Cœleſtem Magiſtrum habuit, cui totus Orbis diſcipulus.
Quod benè ſcripſerit, Teſtis eſt Deus,
Nec fallere poteſt, qui laudatur, dùm, qui laudat, non fallitur;
Probat & meritum virtutis optio præmii,
Eligit Deum, qui eligi voluerat,
Par electo, par eligenti Electio,
Digna benemeriti retributio,
Debita Operario Merces.

Nella

Nella Vigilia della Natività del Signore S. TOMASO converte alcuni Ebrei alla Fede.

SONETTO.

VIderſi un dì del Divin' Nume in terra
Sceſo dal Ciel' i già precorſi eventi,
Vinti al Verbo trè Rè, mà ſenza guerra;
Furon li vincitor' del Ciel' gl'accenti.
Orà nuovi Trofei l'AQUIN' diſſerra,
Ch'al Naſcente Signor' lieto preſenti,
De più perfidi Ebrei l'error' atterra,
Ed aggiunge agl'antichi i ſuoi portenti.
Così cedè l'Infedeltà rubella,
Che di luce à i ſplendor' reſiſter ſuole:
Fù quella già, queſta è del Ciel' favella;
L'una, e l'altra di Fede è degna prole,
Mà più quella d'AQUIN', che s'una ſtella
Quelli traſſe alla Fè, trae queſti un Sole.

D. THOMÆ dextera lucernæ flammam adurentem non ſentit.

EPIGRAMMA.

QUid video! flammam THOMÆ *circumdare dextram,*
Illa ſtat, & medio non datur igne dolor?

For-

Digitized by Google

Forſitàn ANGELICUM *prohibetur lædere* SOLEM?
Vel putat in centrum flamma redire ſuum?
Senſu flamma caret, caruit quoque dextera ſenſu,
Vel fuit in dextra ſenſus, in igne fuit.
Senſus in igne fuit, ſed ſenſus defuit igni,
Non fuit in dextra ſenſus, & ille fuit.
Senſus in igne fuit, quo nunquàm ſufficit, inquit,
Senſu, quo novit flamma nocere caret.
Viva ſemèl THOMÆ *poſſedit dextera ſenſum,*
Sed ſenſu nunquàm mortua dextra caret.

S. TOMASO morto reſtituiſce la luce ad un Cieco.

MADRIGALE.

SE parla ancor' tacendo,
I ſuoi raggi à ſchiarir' cieche pupille
Diffonde ancor' morendo:
Cela cadente il Sol le ſue ſcintille;
Ah d'un Sole del Ciel Sole terreno
Il paragon ne mente,
L'uno è mancante, e quei mai venne meno.
Sole è TOMASO, il Redentore è Sole,
Se quei nell'Occidente
Scacciò dal peccator' ombre di morte;
L'AQUIN con miglior' ſorte
Il Divin' Sole imita,
Se dà in Occaſo ancor' luci di vita.

D. THO-

D. THOMÆ AQUINATI.

Poëta fingit excitari elementa, ut D. THOMÆ *obſequium præſtent, alludendo ad res egregiè geſtas ab eodem Sancto, cùm tamèn Gloria Cœleſtis coronet omnia munera munere è Cœlo miſſo.*

CARMEN HEROICUM.

IBat AQUINATIS *totum diffuſa per Orbem*
Fama, peregrinas etiàm dimiſſa per Urbes,
Cinctaque præcurrens famulis virtutibus, ibat
ANGELICUM *reſerare* DUCEM, *ſpoliiſque referta,*
Quæ licèt invicto referebat ab hoſte; trophæis
Virtutum, laurique ſimùl redimita coronâ,
Undiquè doctrinæ fundens oracula, & omnes
Naturas rapiens: Terræque, Mariſque elementa,
Cœlumque, ac Ignis paritèr certantia THOMÆ
Tollere quæſierant ſimulacrum; Nec mora; fertur
Terram præruptos puero deponere montes,
Et planam monſtraſſe viam, minimumque timentem
Obſequium retuliſſe, ſtupendo è germine panes
In ſubitas mutaſſe roſas, & in aera plantas
Lambere ſublatas viſa eſt non auſa, tuliſſe
Jus æthram uſurpare ſuum; Vix hæc, Mare ab undis
Extulit impatiens caput, & de pectore voces
Has dedit; O noſtræ Portentum ætatis AQUINAS
Hiſtorias veteres ſuperas, menſiſque pugillo

Æquo-

Digitized by Google

Æquora, tu noſtras numero tranſcendis arenas,
Et meritis undas: raros en præbeo piſces;
Sed, tibi, quam dono devoto è pectore pignus,
Excipe progenitam Venerem, cadat hoſtia dextræ
Ipſa tuæ, noſcatque ſemèl, quòd neſcia vinci
Illi victa cadet, qui ſempèr vincere novit.
Nondùm finierat, ſupplex cùm protinùs ignis
Sìc fatur: Didici naturam vertere THOMAS,
Et ſervare ſimùl, ſi me tua dextera dignum
Eligat obſequio virtutum; te meus ardor
Depoſito fervore colet, ſed fortis in hoſtes
Naturæ validas revocabo in pectore vires:
His dictis ſubitò viſum eſt inſurgere flammam
Scribentis THOMÆ *non auſam lædere dextram,*
Sed magìs extremis humilem circumdare labris,
Atque unà lambiſſe ſimùl: Vix aer ab alto
Præceſſiſſe ſuis hæc vidit ſigna, repentè
Æthereos ignes, inſuetaque ſidera Cœli
Profert ANGELICUM *terris ſignantia* SOLEM;
Quæque vocent illum ad Cœlos; idem omnibus ardor
ANGELICO *æternum ſimulacrum effingere* THOMÆ.
Ecce autèm intereà Cœlo deſcendit ab alto
Conſcia geſtarum Cœleſtis Gloria rerum,
Cui circumpendent meritorum inſignia mille,
Et totidem meritis correſpondentia dona:
Unum præ reliquis munus ſplendentius, auro,
Gemmiſque intextum ſtringebat dextera: Zona
Hæc erat; Hìc legitur ſeries immenſa laborum,
Virtutumque cohors, longoque ex ordine fortis
In-

Digitized by Google